



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Sessio Secvnda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

sermone contumaciam institit ut in aliis Synodis.

Hic exorsus est Ill<sup>mo</sup>. sermonem Synodalem, atque ob oculos posuit, quantum à triginta & ultra quibus præest annis in reducenda Ecclesiastica disciplina, in reformandis Clericorum moribus laboraverit, habitis tum per se ipsum plurimis, tum per alios multis exhortationibus, missis etiam epistolis pastoralibus, aliisque actibus quæ ad eum finem proficua videbantur. Quorum omnium quis tandem extitisset fructus requisivit. Continnavit sermonem u'tra horam & mediam.

Finita concione postquam primus Promotor Synodam allocutus esset, Secretarius etiam Synodi accepisset à D. Officiali decreta generalia quæ quotannis legi consueverunt, obtenta ad eorum promulgationem ab Ill<sup>mo</sup>. licentiâ, ea ex pulpito recitavit.

Ad decretum septimum, de oratione pro defunctis, lecta sunt eorum nomina; nempe Reineri Otens, Collegiæ Ecclesiæ S. Joannis Canonici, & Gerardi Reinartz, Beneficiati in Rittberg: moxque Ill<sup>mo</sup>. genuflexus incepit Psalmum Miserere, colle tamque subjunxit.

Ad decretum octavum, de professione fidei facienda. Eandem duodecim tum Curati tum simpliciter Beneficiati, inter quos duo etiam fuerunt Canonici de Capitulo Cathedrali, nempe, D. Theodorius Henricus à Nehem, & D. Adolphus Henricus Droste, publicè coram Ill<sup>mo</sup>. emisserunt.

Ad decretum undecimum, de Decanis ruralibus. Cum quidam ex illis resignatione aut alias mutati essent, sequentes à S. C. de novo constituti sunt. Nempe,

Ad Furltenaviensem, Ioannes Wenninck, Sanctimonialium in Berfenbruck Ordinis Cisterciensis, Confessarius. Item,

Ad Gronbergensem, Joannes Brogberen I. V. L. Pastor in Rimlo. Similiter,

Ad Rittbergensem, Engelbertus Steincamp, Pastor in Civitate ibidem.

Drivis sic Decanatibus, D. Ioannes Sprengertus, Canonicus Widenbrugenfis, nomine Christophori Strengeri Decani ibidem præstatatus est ratione Decanatus Rittbergenfis noviter ab I. S. C. constituti, & antehac cum Widenbrugenfi conjuncti.

Ad quod I. S. C. revulit, absolutam sibi esse potestatem Decanatus instituendi, augendi, minuendi, conjungendi, separandi; proinde non esse quod quisquam ob qualemcumque mutationem moveretur; sed quilibet de cura sibi commissa sollicitus, subjectis intenderet, ut debitam rationem & Deo, & I. S. C. reddere possit.

Ad decretum duodecimum, de Camerariis: Hi similiter ex eisdem causis novi constituti & nominati sunt. Nempe,

In Furltenaviensi, P. Gerardus Iodoci Soc. IESV, Vicecuratus in Battberg. Similiter,

In Gronbergenfi, P. Henricus Frey Soc. IESV, Vicecuratus in Melle. Denique,

In Rittbergenfi, Ioannes Richter, Pastor in Nienkercken in eodem Comitatu.

Mox tam Decani quam Camerarii, qui ratione sui officii juramenta sua & professionem fidei nondum emisserant, ad ea coram Ill<sup>mo</sup>. emittenda, per Secretarium evocati sunt, sed ne sessio nimium protraheretur, mandavit Ill<sup>mo</sup>. ea coram Officiali in loco Synodali præstari, & interim in actionibus pergi.

Lectis proinde ulterius decretis, cum instaret medium primæ, descendit ex suggestu Secretarius, petens ab Ill<sup>mo</sup>. S. C. indicem secundam Sessionem à prandio, quæ ad horam tertiam indicta, & prima hæc, ut in aliis Synodis, dimissa est. Mox Vesperæ in choro cathedrali inchoatæ; omnes præterea, præsertim Rurales, per S. C. Cæremoniarium ad mensam in residentia Episcopali invitati sunt, sub qua prælectus est sermo Synodalis aliàs ab Ill<sup>mo</sup>. habitus in Synodo Vernali, Anno M. DC. LI.

## SESSIO SECUNDA.



Vm à medio tertiæ ad tertiam majori campana denuo signum datum esset, Ill<sup>mo</sup>. ad portam majorem Ecclesiæ Cathedralis, comitantibus dictis D. D. Suffraganeis, à Capitulo suo de more exceptus, deductusque ad chorum incepit secundam Sessionem, ubi omnia juxta priorum Synodorum ordinem peracta.

In loco Synodali habitus iterum ab I. S. C. sermo, cum magno rerum ac verborum pondere, animique contentione: de pastorali cura ac solitudine spirituali omnium Ecclesiasticorum, tam quoad se quam quoad sibi commissos habenda.

Finito sermone Secretarius petiit legi specialia decreta pro hac Synodo confecta; quæ sequuntur:

DECRE-